

ad validam hanc copiosamque clementiæ divi-
næ circumvallationem. Vide eandem hanc sen-
tentiam *Psalm. CIII, 11.* quantum eminet cælum
supra terram, גִּבְרַת חֶסֶד עַל יְרֵאָיו *Kimchi*: in-
valuit, usque dum educeret nos è manu vestrà,
quod vos haut quaquam credebatis futurum, ob
captivitatis nostræ diuturnitatem. Verum fa-
cile patet, Judæum hoc accipere de ultima sub
Imperio Romanò detentione; cujus mirandam
sibi pollicetur κατὰ εὐδοκίαν per gratiam divinam;
quod tamen somnium est vigilantis, promissio-
ne carens, imò comminationibus divinis adver-
sum. Verbum גִּבְרַת *prev. aluit*, nonnunquam com-
parativum esse, ita ut invalidior simul innuatur,
quòd tamen hìc absolutum habet sensum, nota-
vit *Hakspan. disp. p. 348. Campensis*: ita copiosissi-
mè enim usus est erga nos genuinâ misericordia
sua. Cur Lutherus reddiderit waltet? legi potest
in *D. Vejel. Kleinod p. 17.*

עָלֵינוּ *super nos*:] scilicet & Israëlitas & gen-
tiles, qui nunc unum facti sumus corpus.

וְאֵמֶן *& veritas Domini in seculum*:] scili-
cet durat. Applicanda hic videtur Ebraeorum
confveta parallage seu vicissitudo elliptica, qua
ex utròque versiculi membrò compleri debet ut-
rumque h. m. gratia Dei invaluit super nos. (mane-
bitque in seculum:) itemque veritas ejus, in secu-
lum manens, (invaluit invalebitque porro;) ita
ut nil defuturum sit de bonis promissis. vide
Prov X, 1. XI, 2. XII, 12. XIX, 21. Sic *Psalm. XCII, 3.*
indicare gratiam tuam mane, & veritatem tuam
noctu. Atque hoc ipsum intendit etiam Lu-
therus, qui utrumque prædicatum connectit:
waltet über uns in Ewigkeit. De connubiò autem
divinæ gratiæ ac veritatis vide *Psalm. XXV, 10.*

A *LXI, 8. LXXXVI, 15. LXXXIX, 15.* gratia nimirum
est vera solidaque, nequaquam fallax, &c. *Cam-
pensis*: & constantia ipsius in promissis duratura
est perpetuo. *Midrasch* voce אֵמֶן indicari cen-
set, Deum esse omnium initium, medium, finem,
sicuti א' מ' נ' prima, media, ultima, sunt alphabe-
ti literæ.

עָלֵינוּ *in seculum*:] i. e. nullum fuit, est erit,
que tempus, in quo promissorum minarumque
non fuerit memor Dominus, eademque ad amus-
sim compleverit: id quod humanæ opponitur
inconstantia ac fragilitati, quæ licet semel ire-
rumque operam dederit veritati, ne aliquem fal-
leret, haut tamen infallibilem se semper præstat,
imò nec præstare quandoque potest. De absentia
accentus athnach *Ledeb. accent. p. 442. 443.*

USUS PRACTICUS E VERSU I.

[1] De Laude Dei vide præc. II.

[2] Omnium gentium nationumque vocatio
fatis clarè hic indicatur. Vide *Gen. XII, 3. XVIII, 18.*
XXVIII, 14. XLIX, 10. Jes. LVI, 3. Hof. II, 18.
Ephes. III, 6.

USUS E VERSU II.

[1] De Gratia div. in L. de Deo.

[2] De Gratia hujus efficaciam multiplici ac robore, in-
flari potest Symbolum apost.

[3] Veritas Dei est æterna ac immutabilis: tuto igitur
promissis ejus innitimur, minasque certò in hostibus
adimplendas speramus.

[4] Gratia ac veritate Dei comprehenditur S. Ev-
angelium: *Joh. I, 17.* ad quarum commercium associan-
da etiam gentes, *Eph. II, 12* seqq.

[5] In Halleluja vel laude Dei, finiri inchoarique
debent omnia.

PSALMI CXVIII. DISPOSITIO.

*Fretus Deo festum agam. Misericordia Dei in seculum. Confite-
mini.*

E St hìc I. ad laudem Dei excitatio: (1) *laudate Deum*: (2) *fummalaudis*: quod
bonus, quod in seculum misericordia ejus:
v. 1. (3) *laudantes*: *Israel, v. 2. domus Aha-
ron: v. 3. timentes Dominum: v. 4.* (4) *ratio
impulsiva specialis*: (a) *me in angustiis cla-
mantem exaudivit*: (b) *in latitudinem seu li-
bertatem restituit*: *v. 5.* (c) *animosum suam
præsentiam reddidit*: *v. 6.* (d) *Adjutorem se mihi
exhibuit*: (e) *hostium pœnas promeritas in-
tueri fecit*: *v. 7.* (f) *fiduciæ meæ fructum de-
monstravit, quàm bonum, non homini, non
principibus, sed soli Deo confidere*: *v. 8. 9.* (g)
*hostes mihi subjugavit, ut in nomine Domi-
ni conciderem numerosissimè invadentes*: *v. 10.*
11. 12. (h) *lapsurum juvit*: *v. 13.* (i) *salutem
præstitit*: *v. 14.*

II. Gaudii sancti expositio: ubi (1) si-
gnum *vox jubili & salutis*: (2) *locus: in ten-
toriiis justorum*: (3) *origo* (a) *dextra Domi-*

C *ni fecit virtutem; & exaltata est*: *v. 15. 16.* (b)
non mortuus sum, sed vivo: (c) *opera Do-
mini recenseo*: *v. 17.* (d) *castigatum me non
tradidit morti*: *v. 18.* (4) *Gaudii locus no-
vus: aperite mihi portas justitiæ*: *v. 19. 20.* (5)
*contestatio publica: ut ingrediens celebrem
te*: *v. 19. 21.* (6) *causæ*: [a] *exaudivisti me*:
[β] *fuiisti mea salus*: *v. 21.* [γ] *lapidem abje-
ctum fecisti angularem mirabiliter*: *vers. 22. 23.*
(7) *Gaudii tempus: hæc est dies, quam fecit
Dominus*: *v. 24.* *gaudeamus & exultemus in
eâ*: *ibid.*

III. *Votiva apprecatio*: (1) *ô Domine sal-
va &c.* *v. 25.* (2) *benedicimus qui venit in no-
mine Domini!* *v. 26.* (3) *benedicimus vobis de
domo Dom.* *ibid.* (4) *Deus Jehova illuminet
nos.* *v. 27.*

IV. *Conclusio*: (1) *festi celebrationem
urgens*: *v. 27.* (2) *Deum celebrans*: *v. 28.* (3)
alios ad celebrandum cohortans: *v. 29.*